



**Quotidiana Christiani Militis Tessera**

**Stanyhurst, Guillaume**

**Coloniæ Agrippinæ, 1682**

18. Dies Decemb. Lux tua, veritas; & veritas Tu S. August. confess. 4. c. 9.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](#)

1012      *Christiani Militis*      Decemb.  
convictum, nullum, quod corpore non exceptis sup-  
plicium. Vinctus est, ut fur, consputus, ut blasphe-  
mator, pereussus alapâ, ut Pontificiæ Majestatis vio-  
lator, derisus ut sacrilegus in Deum; flagellatus, ut  
malefactor; spinis redimitus, ut Regiæ dignitatis af-  
fector, ad mortem condemnatus, ut populi sedu-  
ctor, suspensus in patibulo, binos inter latrones, ut  
Princeps latronum: atque ita, ut omnium sceleratissi-  
mus, imperfectus omnibus cruciatibus. Ecce hic re-  
ctissima via ad Regnum Dei, sanctissima gesta  
Christi. Et quod Christo non debes amoris tribu-  
tum? qui se voluit, quod imitareris, tibi esse exem-  
plum? Hoc mihi jam ratum est, & fixum; totum cor  
meum in te figere, & me ad normam tuæ vitæ finge-  
re: Donec aërem cor trahet, simul trahet, simul at-  
trahet spiritum amoris: donec venæ micabunt, si-  
mul emicabit amor: donec immortalis meus vivet  
animus, simul teamabo. Sine manibus, sine pedi-  
bus, sine lingua exercetur Amor: ubi cor est, ibi est  
copia Amoris. Tuo igitur Cordi Sancto-Sancto, to-  
tum cor consecro, dico, dedico: donec in Templo  
magnō tuo celebrem solemnitatem hujus meæ de-  
dicationis; ubi omnia tua, erunt mea, si hīc mea sim-  
prius tua. Eris cum Christo confors, si dederis ei cor.

*Ne fias vacors, esto cum Numine concors.*

## 18. DIES DECEMB.

Lux tua, veritas; & veritas Tu. *S. August. confes. 4.0.9.*

Christus I.  
est veri-  
tas.

N

On satis fuit Christo, si no-  
bis, ne erraremus ambulan-  
do, esset Via; Voluit, ne de-  
cipere mus credendo, esse  
Veri-

decemb.

Tessera.

1013

Veritas. Veritas procul habitat à sensibus; quia illi innexi sunt innumeris erroribus. Si credis tantum visui, eris Christo invisus: si auditui, malè apud eum audies: si odoratui, non eris Christi bonus odor: si tactui, audies statim; (a) *Noli metangere*: si gustui, non gustabis, quām suavis sit Dominus. Renuntia sensibus, ut percipias, verborum, quæ Veritas loquitur, sensa; aliàs censeberis inter intensatos. Veritas, est cælestis planta, non floret in terris: non alitur carne, & sanguine; quia caro & sanguis non revelabit tibi arcana Veritatis. Antequam ad nos descendit Veritas, hoc est, Redemptor generis humani; totum mendacii tenebris caligabat genus humandum, veluti in cæco specu, aut tenebrioso antro, aut tetro spelæo: ita ut nulla pateret vel rimula, per quam vel tenuissimus Veritatis radius posset elucente. Hinc, sicut nulla Divinæ Veritatis lucebat scintilla; nulla quoque Divini amoris ardebat favilla; tandem, ut, dissipatâ veluti opacâ nube, Veritas ubique lucis suæ effunderet radios, quæ semper fuerat sursum, Veritas deorsum descendit; ut homines, qui erant de deorsum, quæ sursum sunt, quererent; quæ sursum sunt, saperent. Quidquid non est ad normam Christianæ Doctrinæ, sive Veritatis, est mendacium, fraus, vanitas, error. Quantum ergò sumus obnoxii Christo; cuius doctrinâ, possimus nullis obnoxii esse erroribus. Omnes per fidem credimus vera; sed non omnes credimus verè.

II. Si credis vera, quæ Christus dicit; cur moribus contradicis? Si est verum, (quod indubie est vero verius) quod oportuerit Christum pati, ut in-

Sss 3

traret

(a) *Ioan. 20.*

traret in gloriam suam; cur tu non modò patinolis, sed patiendi occasiones fugis? Si verum est, Deum providere omnia in bonum justorum; cur tam acerbè affligeris? cur tam amarè angeris, levibus, quos subis, laboribus; exiguis, quas pateris, angustiis? Si hæc quām vera, tām verè credis; dum adverstibì eveniunt, totus lætitiis incederes. Si hīc in terris videres, delapsum è cælis, unum aliquem vel è sanctissimis Vatibus, ut Davidem; vel ex Apostolis, ut Paulum; vel ex Angelis, ut Gabrielem; qui tibi certò affeveraret, & quidem ex parte Dei, esse Dei voluntatem, desiderium, addo & imperium, ut hanc, quā affligeris, æquo animo sustineres calamitatem; quia illa cederet in magnum tuæ & gratiæ in terris, & gloriæ in cælis cumulum; nōnne hoc sufficeret; ut illam perferres non modò cum patientia, sed latitia? Agnosce hīc tandem te, qui credis vera, non credere verè. Cur non modò toleras, imò, & toto deliderio non anhelias pati? cùm idem sit hīc pro Christo pati; imò, & patiendo mori, ac cœlo nasci. Illud quod tibi è cœlo adferret nuntium; Paulus, vel Angelus, non debes tam certum existimare, ac quodcunque punctum fidei: in simili enim eventu posse incertus de veritate ambigere; an non sit sub Angelo lucis, satanas; aut sub pelle ovinâ, lupus; aut spiritus malignus, qui tibi illudat: & denique, cùm possis falli tuis sensibus. Igitur, si Veritas hæc ex fide certior sit, quām si Angelus de cœlo Evangelizaret tibi; cur minùs te debeat commovere?

III. Nos, qui gloriamur nomine Christiano; nihil minus facimus, quām quæ Christus. Quomodo posse

Decemb.

Tessera.

1015

possemus majori odio prosequi Paupertatem; quām, si Christus sub interminatione æterni exitii, nobis præcepisset odiſſe, & fugere Paupertatem? Quomodo potuissimus, magis aversari Humilitatem; si dixisset: Omnis, qui se humiliat, damnabitur; quām modō, cūm tamen promittit, eum, qui se humiliat, exaltandum? testimonium est Christi; & scimus nōs Christiani, quia verum est ejus testimonium. (a) Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam; quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Nos ita persecutionem abominamur; ac si dixisset: Miseri, qui persecutionem patiuntur; quia ipsorum est domus inferorum. Dicit Christus: Beati mundo corde, &c. Quis tamen in mundo, studet esse mundo corde? Scimus, quod Christus sit Veritas; nec tamen plus ei credimus, quām si esset ipsa vanitatum vanitas. Si Quid nobis suadeat mundus; nobis oraculum; Si quid suggerat dæmon; nobis quasi lex est: tam facile illi credimus; ac si pro nobis fuisset mortuus. Ita aversamur Christi consilia, spernimus monita, contemnimus imperia; ac si illa effutiisset, vel fatuus aliquis in trivio, vel histrio ridiculus in theatro, vel Sycophanta in fôro. O Deus! hoc debedo corruptæ naturæ, quæ corpus, ut inutile pondus humi premit, unaq; secum colligatum animum, prouum in terram vergit. Cupit quidē anima, tanquā Aquila supra terras, & maria, & nubes, & supra quidquid est mortale in hac vitâ mortali eniti, ac defigere oculos in contemplandâ luce Veritatis tuæ; sed ah! catenâ carneâ corporis innodatus, retrahor ad ima: sed, an ideò, quia non possum sumere pennas, ut aquila, & tam altè

Sss 4

vola-

(a) Matth, 5.

1016      *Christiani Militis*      Decemb.  
volare, non potero te amare ? En Christe; quia tu es  
Dominus cæli, & terræ, totius cæli, & terræ stipatus  
amoribus : Tibi procumbo, quidquid hic, vel illic  
immortalium flamarum collucet, illud totum tibi  
repræsento; ut amoris mei suppleant defectum. Illic  
in regione Veritatis gaudabo, videns in te uno, om-  
ne verum.

*Est pro ventre merum; pro mente, & pectore verum.*

### 19. DIES DECEMBER.

Dignus planè est morte, qui tibi recusat vivere. Ber-  
nard. super Canticum.

Christus I.

**C**ui potius oportet vivere; quæ  
est vita. ei, cui omnia vivunt? in quo  
vivimus, movemur, & sumus?  
qui est Auctor omnis vitae; qui  
est vita vitæ nostræ, qui sibi viventibus promittit vi-  
tam æternam? An non dignissimus morte, & qui-  
dem æternâ, & in eâ pœnis sempiternis, qui recu-  
sat ei vivere; ex quo, per quem, & in quo est omnis  
vita? Vivere Christo; est mori mundo: mori mundo,  
est nihil sapere eorum, quæ sunt mundi. Sicut cada-  
ver; si induatur purpurâ, & byssô, & non erigitur  
cas; si ab omnibus, ut Dominus omnium, prono-  
pice honoretur; varii proceres, cum ut Regem  
omni prosequantur cultu, non inflatur fastu: si illi  
appontantur selectissima fercula, suavissima bellaria,  
generosum massicum; nullum prodit famis indicu-  
um, edendi desiderium; omnia ei, quæ expetunt  
omnes, offerantur; ita se gerit, ac si nihil offertes;  
caret omnia motu, & sensu. Si tales te exhibeas  
circa bona muneli; mortuus es mundo: & sic mori-

mur.